ACRONIS ET PORPHYRIONIS

QVI CIRCVMFERVNTVR

COMMENTARII

IN

QVINTVM HORATIVM FLACCVM

AD CODICES ET MANV SCRIPTOS ET TYPIS EXCVSOS

EDIDIT

FERDINANDVS HAVTHAL.

Quicquid est, eo decet uti, et quicquid agas, agere pro viribus. CIC.

PARS I.

PARISIIS, A. FRANCK.

LIPSIAE, SVMPTIBVS H. E. SCHRADERI. MDCCCLIX.

LONDINI, WILLIAMS & NORGATE.

SUBSIDIA.

ELENCHUS SUBSIDIORUM.

Quos emendatiorem hanc editionem Acronis q. f. et Pomp. Porphyrionis commentariorum adornans adhibere et licuit et placuit, hi sunt codices aut manu scripti aut typis excusi, quibus accedunt editiones recentiores saeculi decimi sexti.

Ac primum quidem aut uberius aut breuius hic notabo

I. CODICES MANU SCRIPTOS

A.

ACRONIS.

1. Primum locum obtinet Cod. Parisinus 7900. A, perperam a *Pottierio* (Cod. A.) p. 338 notatus dumtaxat 7900, quippe quo numero offertur tibi Terentius ad saec. IX pertinens, cuius in primo folio personae atramento adumbratae conspiciuntur. Idem neglexit *Vanderbourg,* alter Gallicus editor, Vol. I. p. 387. Foliis autem CLV membranaceis maximis princeps noster liber constat, quorum a septimo vigesimo ad quinquagesimum sextum usque XXX Horatiana sunt, atque exeunti IX vel ineunti decimo assignandus est. Liber erat Puteanus sive Puteanorum fratrum. Verum enim erat, teste HASIO, uiro eximio, ipse Claudius Put., in libri fronte qui haecce scripsit: „Liber quattuor Carminum. liber epodon. epistolarum liber I cum Comment.“ Vanderb. dicit „Carminum *libros quinque* cum Acronis commentario atque epistt. lib. I“ eum complecti. Et uerum utique est, post librum odarum quartum hanc *scholiis* datam esse inscriptionem: „EXPOSITIONV̄ HORATII LIBER IIII. EXPLICIC̄. INCIPIT LIBER V“, attamen in ipsius Horatii codice eiusdem libri et manus ibidem legitur haecce: Q. HORATI FLACCI CARMINV̄ LIB̄. IIII. EXPLIC̄. INCIPID (sic) EPODON FELICITER. Carminum lib. I inscriptionem vide suo loco. Post vitas illas duas III et II etiam in aliis codd. obuias, de quibus alias uberius disputauimus, carmina posita sunt atque epodi, quorum totus XVII et decimi sexti versus extremi inde a septimo vigesimo usque ad finem omissi siue sublati sunt. Carmen saeculare inest atque epistularum primi libri pars quae cum I, 6, 64 (voluptas.) exit, unde lacuna usque ad

initium ep. tertiae decimae patet. Post librum priorem, ad cuius calcem subscriptio extat: EXPLICIT LIBER PRIMUS EPLAR. Q. HORATII FLACCI, et libri II epistulae et sermones desiderantur. *Commentum Acronis* siue „EXPOSITIO IN HORATIUM“ non latius patet nisi ad epodi XVI initium, cui prostans litera prima A (ltera) a 1. m. exarata interruptum siue mutatum scribae consilium indicat. Alia praeterquam argumenta et scholia in hoc codice a manu secunda item quidem vetusta tamen vero non ad saec. IX set ad XI pertinente Horatii aut totis carminibus praeposita aut singulis verbis adscripta occurrunt, quae, ubi necesse erit, proponam. At enim vero de codicis huius egregii pretio et virtute atque de notabili eius orthographia longius dicere et in praefatione editionis maioris et alibi locus erit. Ad duas autem res iam nunc uelis animum adtendere. Ac primum quidem ratione κρίσεως habita notandum est scripturam in verbis Horatii ac scholiorum haut raro inter se differre, ut III, 24, 4: mare *ponticum* — mare *publicum*, cum glossa *omnibus patens*; III, 27, 5: *rumpat* — *rumpit*, cum glossa: inci*dit* praetereunti; III, 28, 6: *et* veluti *stet* — *ac* u. stat; IV, 3, 10: *praefluunt* — *profluunt*; IV, 5, 20: *metuit* — *metuet*. Deinde librorum rariorum amici intererit auribus oculisue percipere, codicem nostrum esse *rescriptum* ab initio usque ad fol. CXI ac denuo a folio CXXV usque ad finem. Folia interposita non sunt rescripta. In illis autem subiectus latet historicus scriptor, cuius uestigia disiecta in singulis foliis membra produnt, ut fol. XCIX:

/// in pompeium ////////
////// atque africam p/////////

et fol. subsequente C: Kes/////////ilitis trepidi///////

Et haec res fugit antecessores Galliae meos atque viros doctos illos qui relicua maiore vetusti huius codicis parte usi sunt, quae Terentium et Lucanum, utrumque cum scholiis et glossis, nec non Iuvenalem et Marttanum Capellam continet. Vetustissumus autem est codex eorum qui continuos Acronis q. d. commentarios offerunt et pro hac sua virtute et propter bonam totius libri conditionem maximi est pretii. (Sign. A ad Acronem).

(Cod. γ.) 2. Non leuiori momento aestumandus est Cod. Paris. 7975, notatus γ apud Vanderb. Vol. I. 399—401, 7 apud Pottierium, saeculi XI, conspicuae et vetustatis et optimae notae liber, qui inde a carmm. I, 7, 5, ut hic de Horatio ipso taceam, scholia quae sub Acronis nomine circumferuntur aut continuo aut maximam partem in margine adscripta Horatianis uersibus tenet *ad carmina, artem poeticam, epodos, carmen saeculare,* (hoc ordine) *sermones atque epistulas.* At vero ut ab initio sic in fine mutilus est: exeunt enim commentarii cum epistt. II, 1, 244 ad. v. Boeotum. Eo magis autem dolendum est huius codicis praestantissumi duo folia extrema a manu seriori saec. XIV exarata omnino scholiis carere, quo certius est hunc librum esse uni-

cum inter vetustiores qui puriores Acronianos q. u. commentarios in Sermones, Epistulas atque Artem poeticam exhibent. Quod facile agnoscens equidem tota codicis scholia ad verbum exscripsi (Sign γ). Similis operae me non taesum est in enotandis enodandisque scholiis et glossis

3 et 4. Codicum Pariss. 7971 B. (apud Vanderb. Vol. I p. 390, 2 apud Pottier.) et 7974, qui signatus est φ a Vanderb. p. 397 et 7 a Pottierio. Immo etiam neutiquam me paenituit tum bis conferre, ut in vetustioribus prorsus omnibus, Horatii verba, tum eorum explicationes accuratius eruere, sic in his peruetustis non minus ac perbonis codicibus, quorum alter ineunte alter exeunte saec. X exaratus mihi videtur. Quorum librorum, utpote qui integri sunt ac tam in ipsius poetae verbis quam in eorum expositionibus geminorum instar miram familiae eiusdem ostendunt similitudinem, uberiorem suo loco descriptionem habebis atque diiudicationem. Hoc unum tamen iam hic enuntiare placet, plurima eorum scholia eadem esse atque ea quae cum Blandinianis mss. deperisse creduntur. (Sign. B et φ). (Codd. B et φ)

5. Cod. *Barcellonensis,* saec. XI exaratus, de quo copiosius locutus sum atque accuratius quam de codd. mss. fieri solet, in libello „Ueber den Codex Heinianus oder Barcellonensis des Horaz und des Acron", (Cod. b.)

1. Beschreibung und Würdigung dieser ältesten aller bekannten *spanischen* Horazhandschriften,
2. Erklärung der darin vorkommenden bisher räthselhaften Zeichen, und
3. Nachrichten über die in den Drucken unvollständigen akronischen Scholien zum Schlusse der Briefe, Bonn., T. Habicht 1847, mense Martio.

At enim vero quae ibi disserui, priora sunt Kirchneri ‚Novis Quaestionibus Horatianis', quas mense Maio emisit. Hanc paruam scriptionem, qualiscumque est, propter quam A. Humboldt, patriae nostrae orbisque totius eruditi decus ac praesidium, in literis ad Theod. Apelium meum, poetam Lipsiensem, datis doctorem sagacem („den scharfsinnigen Doctor") me uocare dignatus est, viros doctos adhibere atque in variarum curarum partem vocare non paenitebit. Scholia omnesque quae in hoc codice extant glossas exscripsi, atque lubenter confiteor non raro illa magno mihi usui fuisse. (Sign. b).

6. Cod. *Mediol. Ambros.* Q. 75. Sup. membranaceis foliis CXXIII oblongis constans, ad saec. X exitum spectans. Scholia a 1. m. scripta quae maiorem partem Acroniana sunt, saepissume tamen, quia literae euanuerunt, lectu difficilluma, per totum tendunt codicem, qui post vitam II et fragmentum primae quod cum u. *coactore* exit, totum Horatium hoc ordine suppeditat: *Carmm., epodi, carm. saec., ars po., sermones et epistt.* et signatus a me est Q. (Cod. Q.)

(Cod. M.) 7. Cod. *Monac.* electoral. 375 membr. quaternis foliis CLXIX spissioribus constans, saec. XII eleganter ab una eademque manu exaratus cum scholiis et glossis continuis a 1. m. Horatio adspersis per totum librum, qui post vitam III, cui nonnulla parerga sunt adiuncta, et vitam Suetonianam omnia poetae opera praebet. Hic Horatii codex, olim ex libris „Hartmanni *Schedelii*, celeb. medici Norimbergensis", et propter purum aequalemque scripturae tenorem (nusquam etiam quantum uidi a 1. vel 2. m. correctus est) et propter vetustiora a 1. m. scripta scholia, quae magnam partem Acronis, neque a 2. m. mutata umquam neque admixtis adnotationibus recentioribus maculata sunt, magni habendus est. Liber praestans, Germanicam cuius originem Teutonicae glossae testantur, ut Serm. I, 9, 32 podagram, fuozsuht aliaeque plures quas in *Aretini* Beitr. z. Gesch. d. Lit. T. VII p. 244 iam publici iuris fecit *Docenius*, qui aetate dicta multo (quattuor saeculis) priorem eum statuit, multis locis a me adhibitus est. Inspexit eum et descripsit *Kirchnerus*. Nou. Quaestt. Horatt. p. 46—48; equidem signaui M ad Acronem.

His septem vetustioribus plures accedunt Codices saeculi XV:

(Cod. d.) 8. Cod. *Parisiensis* 7986 chartac. foliis XXXIX in folio q. d. exhibens integrum Comm. in *Carmina, Epodon librum et carmen saeculare.* Liber olim erat Ill. et Rev. *Meli* episcopi, deinde D. *Grimani*, posthac Domus Venetae Soc. Iesu. In ligaturae folio membranaceo leguntur haecce: ‚Acron in odas Matthaei de gypso, quem olim transcripsit vir eruditissimus D. *Iohannes Ehmola.*' Ad totum carm. saec. hunc librum contuli, praeterquam haut paucis locis. (Signaui d).

(Cod. X.) 9. Cod. *Parisiensis* 7985 chartaceis foliis CXXXV in folio q. d. exaratus a manu Italica, praebens „COMENTUM" in *Carmina, Epodd. Carm. saec. Art. po. et Sermones* usque ad II, 7 verba: *decembri autem mense saturnalia.* Subscripta est a 1. m. vox *finis.* Commentarii in sat. I, 1; II, 8 atque in epistulas absunt. In folio involucri leguntur haecce a Gothica manu scripta: ‚Comentus Oratio (sic) acronis super odis et poetria'. Prima manus contra ad calcem posuit haecce: ‚explicit liber Acronis super od*as* Oratii'. Conscriptus liber est a scriba ignorante et negligente, qui constanter *idem* (non *idē*) scripsit pro *id est*, lacunas reliquit verbis leuissumis ut *nomine* al. et scholia plurima omisit. Orthographia est pessuma et totus liber mendis scatet foedissumis. Ad priorem partem uitas aliaque parerga quae suppeditat atque ad artem poeticam et sermones eum contuli atque in examen vocaui. (Notaui X).

(Cod. N.) 10. Cod. *Norfolcianus* 2661 62, foliis chartac. CLXXXI in folio q. d. minori complectens integrum qualis tunc temporis erat commentarium Acronis

in *Carmina, Epodos, Carmen saeculare, Art. po., Sermones* et *Epistulas*. In fine ut ed. pr. Veneta mutilus est, exit enim in epistt. II, 2 pariter atque eadem cum verbis illis: Non solum inquit non laudo. Scriba adposuit pio grati animi testimonio haec: Laus deo soli, atque 1. m. subscripsit: finis. E Germania hunc codicem in Britanniam esse translatum patet ex iis quae in extremo folio a manu quadam saeculi XV sunt scripta:

,Liber iste est Iohānis Pircheymer utriusque iuris doctoris et amicorum.'

Folio primo significatum est: „Soc. Reg. Lond. ex dono *Henr. Howard* Norfolciensis.' In Museo Brit. nunc temporis asservatur, antea in Collegio Greshamensi apud Londinium. In Catalogi Tomo II p. 75. 2, coll. Catal. bibl. Norfolc. Lond. 1681, 4, p. 128, parum accurate scriptum est: ,Horatius Flaccus cum Commentario Acronis grammatico.' Namque Horatius ipse non inest, poemata eius dum minime ut in ed. princ. Romana commmentariis praeposita neque ut in ea Venetae ed. principis parte quae Acronis expositiones circum Horatiana ductas praebet, in medio earum collocata sunt. Scriba quidem in locis homoeoteleutis aliquoties lapsus est graecisque verbis lacunae sunt relictae, magna tamen cura omnino liber exaratus et melioris notae dicendus est. Maiorem partem codicis contuli. (Signaui N).

11. Cod. *Bernensis* 223 chartaceus, non membranaceus, ut *Sinnerus* in Catalogi Tom. I. p. 481 refert. Horatiana, ut hic de aliis quos praebet scriptoribus taceam, sunt LII folia, quibus Acronis Comm. in Horatii *Carmina, Epodos et Carmen saec.* continetur. Titulis omnino caret, literis autem vel rubris vel caeruleis suis quodque carmen ab initio ornatum est. Nunc nova scholia infert, nunc quae in editionibus leguntur vel omittit vel mutila praebet, saepius tamen integra. Quamquam librarium non ita doctum neque in scribendo exercitatum arguunt permulta verba male lecta atque intellecta, compluribus tamen locis Acronem correctiorem reddit. Bono enim libro usum scribam esse eumque mutare nusquam aut de suis addere aliquid ausum apparet. Totum codicem accuratius perlustraui. (Notaui 1). (Cod. 1.)

12. Cod. *Oxoniensis* 25 Canon. lat. in Bibl. Bodleiana, chartac. foliis XCIX constans in fol. q. d. minori, liber in Italia diligenter exaratus. Complectitur Comm. in *Carmina, Epodos et Carmen saeculare,* quippe ad quod exit cum verbis *ad sacrificia offerenda,* omissis duobus scholiis extremis. Vox ,τελως' (sic) adposita in calce librum integrum arguit, id quod aliter se habet in cod. Par. 7986 (d), qui negligentius exaratus est ad cuiusque calcem parti nondum absolutae tamen uox „τελως" supposita conspicitur. Ab indocto quidem scriba, non tamen ex ed. vetusta set ex aliquo codice descriptum iudico hunc librum non contempnendum, qui saepe meliores tuetur lectiones. Diligentius eum excussi. (Sign. O). (Cod. O.)

(Pith.) 13. Petri pithoei, teste bandinello, v. c., bibliothecae Bodl. praefecto, apparatus, quem *Oxoniae* in ed. Bas. a. 1580 bibliothecae Bodleianae detexi. Per totum Acronem doctae illius viri celeberrumi patent adnotationes et correctiones, quae haut parui sunt momenti magnamque partem ex mss. petitae, id quod lit. C passim adiecta, uidesis p. 1755, 1757 al., significare uidetur. In superiore folii primi in quo titulus est parte scripta leguntur haecce:

Inceptū Tricassibus Idib. Septembrib. CIƆIƆCXIII, ad inferiorem additum est nomen

Petri Pithoej Ant. filij.

Ad calcem ipsorum Commentariorum p. 2279 posita sunt haec:

Absolutū CIƆIƆCXIII Kal. Octobris
a me Bilu*) (sic) Auanc.
Biturig. itu riente (?)

Pitheu.

*) Bilu] Linea transit quattuor has literas, quibus Pithoeus siue alius quidam (nam P. Pithoeus anno MDXCVI mortuus est, (vide Boiuin de Villeneuve et Grosley.) fugitiuo calamo uerbum Biturigum scribere incohauerat.

Ex his patet, scribam ne unum quidem mensem anni MDCXIII impendisse labori huic absoluendo atque ex schedis suis in illum librum transiecisse. Cuncta haec in meum usum conuerti, plura in hac ed. min. adhibui. (Sign. Pith.)

(Cod. u.) 14. Cod. *Romanus* Urbinouat. 348 membran. in folio q. u. longiori. Post *Domitii Cal*derini explanationes in Iuvenalem inde a folio C positus est *Commentarius Acronis in Artem poeticam* atque a fol. CXII Comm. Acronis in epistulas. Post uerba illa *Non solum inquit non laudo* in calce adiecta sunt a prima manu haecce: Finis. manu angeli caliensis. amen. Liber pictus est atque omnibus partibus ornatissumus, quippe enim literae initiales aureae cum rubris, viridibus caeruleisque alternantur. Codex non ex edd. princ. descriptus est, id quod ex parte quam examinaui cognitum habeo. (Sign. u).

(Cod. 9.) 15. Cod. *Romanus* Vat. 1517 membran. foliis CVIII in folio q. d. minore in Italia exaratus, continens Acronis *Comm. in carmina* (odas, epodos et carm. saec.) *atque in Artem poeticam* usque ad v. 138: Difficile est proprie communia dicere. Hic liber quamquam plurimis scateat mendis, quas et negligentiae et uecordiae imputare licet scribae, tamen non plane despiciendus est, cum non ex libro tunc temporis impresso eum set ex alio quopiam cod. ms. eoque meliori profectum intellexerim. Praeter uitas partem contuli. (Sign. 9).

(Cod. t.) 16. Cod. *Rom.* Vat. 1515 membran. formae q. d. in folio, in Italia satis clare et diligenter exaratus, constans foliis CLXII quae offerunt Acronis Comm.

in *Carmina, Epodd. Art. po. ac Sermones.* Manus aetatis prima inferioris cuiuspiam verba graeca non solum in lacunis suppleuit set etiam totum codicem correxit. Tertia manus lectiones uariantes subinde margini adposuit ut od. I, 1 ad verba *in cursu suo:* aliter *curru*; od. I, 3 ad verba *ex motu oceani:* aliter *aestu* etc. Folio nouissumo aeque Comm. in Sermones ac totus codex eodem fere quo editiones impressae modo exit. Maiorem libri partem adhibui. (Sign. t).

17. Cod. *Rom.* Vat. 1516, chartac. foliis eiusdem numeri cum praecedente item in Italia exaratus annis MCCCCLVII et VIII, praebet Acronis Comm. in *Carmina, Epodd. Carm. saec. Art. po. et Sermones.* Comm. in Art. po. duplex inest. Praeter vitas, metra aliaque parerga ipsius commenti partem contuli. (Sign. o). (Cod. o.)

18. Cod. *Rom.* Vat. 3316 constans foliis CXXXVIII chartaceis ac proponens *Comm. in Artem poeticam* (absque epigraphe), cuius initium ab impressis libris paullum dissentit ita ut alienae ei glossae admixtae videantur, deinde *Comm. in Sermones* item non ferens inscriptiones, quamuis pictae literae initiales satiris singulis prostent, denique *Comm.* in *epistulas* aeque ut praecedentes partes inscriptione carens. Scholia epistularum mutila sunt, exeunt enim ad II, 1, 247: *Dilecti — poetae* cum uerbis: *Ordo. at dilecti tibi uirgilius uarusque quae dedecorant.* Ex antiquo fonte codicem duco profectum. Editionibus impressis plenior est, at quae addita sunt, non ubique antiquam originem produnt. Quae grauiora in eo videbantur adhibui. (Sign. n). (Cod. n.)

19. Cod. *Rom.* Vat. 4611 chartac. foliis MLXXXV quaternis rubro colore numeratis, liber luculentius et diligentius ab una manu in Italia exaratus. Prima pagina coloribus auroque ornata cernitur atque inscriptiones poetaeque verba per totum codicem sunt rubra. Continet autem Comm. Acronis in *Carmina, Epodos, Carmen saec. atque Artem poeticam.* Epigraphe praeposita haecce principio legitur: (Cod. y.)

ACRONIS GRAMMATICI EXPLANATIO
IN LIBROS. CARMINUM. Q. ORATII.
FLACCI. INCIPIT
VITA ORATII.

Hanc uitam III sequitur uita II inscripta aeque ut in edd. pr. Romana et Mediolanensi Zarothiana:

ITEM. ALITER. VITA. ORATII.

Quam partem excipiunt nota illa quae sunt

DE METRIS. QUIBUS. IN OPERE. SUO.
UTITUR. ORATIO (sic.).

Ad epodi ultimi qui tamquam „Ode CXXI“ numeratus in Codice est, partem posteriorem a v. 53 extat solummodo argumenti initium usque ad

v. *respondentem.* Comm. in *Carmen saeculare* exit aeque quam in aliis codicibus cum u. *offerenda.* Post hanc partem positus est Comm. in *Artem poeticam* cum his rubris inscriptionibus:

ACRONIS GRAMMATICI COMMENTARIUM (sic) IN Q.
ORATII FLACCI CARMINUM FINIT FAELICITER.

et (fol. CLIII):

COMMENTARIUM. INARTEM. POETICAM. HORA.
TII FLACCI INSCRIPTUM. (sic) ACRONI. INCIPIT.

In qua posteriore iterum u. commentari*um* neutro genere occurrit, addita peculiari nota, Acroni commentarios illos esse adscribendos uel inscriptione supra iam assignatos. Hoc codice qui ab impressis libris parum recedit, usus sum quantum opus mihi erat. (Sign. y).

(Cod. s.) 20. Cod. *Mediolanensis Ambr.* D. 114. Sup., CCXXVII foliis chartac. constans et ut Olgiatus in folio primo dixit „diligenter conscriptus, ab heredibus Francisci Cicerei regii in hac urbe Mediol. eloquentiae praeceptoris emptus.“ Rubrae et caeruleae literae initiales alternantur. Praemissis uitis illis II et III et parergis positi sunt ACRONIS COMMENTARII IN HORATII FLACCI LIBROS CARMINUM, deinde: ACRONIS COMMENTUM IN Q. H. FL. CARMEN SAECULARE tum ACRONIS COMMENTUM IN Q. H. FL. POETRIAM ac denique ACRONIS COMMENTUM IN Q. H. FL. SERMONES. In calce legitur uox τελος. Expositio et artis po. et sermonum eodem modo incipit et exit quo in editionibus impressis. Liber inter paucos huius aetatis codices Acronianos est qui graeca verba habent inserta. Praeter comm. in Artem poeticam haut pauca ex hoc codice collegi. (Sign. s).

(Cod. V.) 21. Cod. *Venetus* cl. XIII, 43 in bibliotheca S. Marci. Custos adscripsit: 99. 3, et ita etiam in ipsa ligaturae pagina secunda notatur. Ex libris erat *Bernardi Nanii* Nob. Ven. Ant. fil., adi Iac. *Morellii* relat. codd. Nann. p. 151. Quae ibi leguntur: „CXI Cod. chart. in fol. saec. XV. Acronis Comm. in Horatii carmina“ non satis accurate dicta sunt; quippe enim continentur hoc libro commentarii non solum in Carmina (epodos et carmen saeculare) set etiam in *Artem poeticam* atque in *Sermones.* Hic postremus Comm. in Sermones exit ut totus codex cum his verbis: ‚*Intelligimus enim nasidienum dixisse uermes inuenisse in cunctis partibus quas non attulit.*‘ In calce libri nulla obuia est subscriptio, contra post partem metricam ab initio quae inter vitas II et III posita est, literis cursiuis a 1. m. scripta haecce leguntur: ‚Comentum Horatii quod composuit Acron sed uita eius‘ (sic). Quae usui esse possunt congessi. (Sign. V).

(Cod. p.) 22. Cod *Patau.* 311, in bibliotheca Seminarii Patauini qui asseruatur. In catalogo Mss. cuius auctor *Andr. Coi* V. D. est, ita descriptio se habet: ‚Cod. chartac. in 8, saec. XVI (immo XV): *Acron, Commentarius in 4 libros*

odarum Horatii. Praecedit duplex ipsius Horatii uita breuiter exarata, quarum prima incipit: Horatius Flaco (sic recte) libertino Patre natus . . ., secunda uero sic incipit: Q. FL. praecone patre natus . . . Verum haud mihi facile persuades auctorem Acronem esse. Commentum incipit: *Mecenas atauis* . . .] Scribit officia pragmatice monocolos. in commemoratione . . . ,desinit: *ab yuli descendit origine.* Hic codex paucis exceptis temporis edacitatem nullo modo sensit; non fuit tamen accurate omnino descriptus: et graeca vocabula vel sunt omissa uel litteris latinis expressa.' — Ad finem libri IV scholion illut extremum quod ad ordinem spectat atque ad v. *Troiam* usque tendit, in hoc codice non legitur. Liber minoris pretii. Pauca tantum excerpsi. (Sign. p).

23. Cod. *Patau.* 143 eiusdem seminarii, chartaceus. Erat olim IACOBI FACCIOLATI uiri clarissumi, a quo huic bibliothecae fuit dono datus. Praeter Anonymi Commentarium in Paradoxa Ciceronis habet ,*Acronis Commentaria in duos libros Sermonum* Q. Horatii Flacci, deinde ,Anonymi Commentaria in *epistolas* Horatii', tum ,Anonymi Glossulas *epistolarum* Horatii', tum ,Anonymi Commentaria in *libros duos Sermonum* Horatii', denique ,Anonymi Commentaria *in odas aliquot libri primi* Horatii et *in quindecim priores libri secundi*'. Longiora quae de his notaui, hic non ad rem faciunt, aliquoties tamen ad codicem prouocare licebit. (Sign. P). (Cod. P.)

24. Cod. *Florent.* Laurent. pl. XCI. Sup. 22, chartaceus. (u. Catal. *Bandini* p. 757 et 758). *Acronis Commentarius in epistulas* inest praeter alia a Bandino satis accurate notata. Perperam in ed. *Mitscherlichii* inter alia dictum est codicem etiam comment. in Sermones complecti. Folia XLII implentur Acronianis, quae tres aut quattuor scribae exarasse uidentur. Verisimile est, uirum doctum una cum pluribus discipulis ex vetusto libro hunc commentarium descripsisse, qui incipit ita: Proposuit Oratius (non *Hor*atius, ut Bandinus refert) finitis sermonibus se nichil amplius scribere. Cur autem hoc opusculum addiderit postulatione mecenatis causa extitit cui negare non audebat etc. Quid de scholiis huius libri iudicandum sit, alias uidebimus. Ubi ea adfero, signaui *x*. (Cod. *x*.)

25. Cod. *Florent.* Laur. pl. XXXIII. 21, de quo conf. Bandini Catal. II, 105, foliis CXLV chartaceis Florentiae exaratus a *Petro de Cenninis* qui non potuit facere quin haecce tria in calce libri disticha deponeret: (Cod. l.)

Si quis scire cupis, qua codex scriptus in urbe
  Hic fuit, et nomen queris (quaeris) habere meum.
Urbe florentina transcripsi Petrus: auorum
  Cujus *Cennina* est nomine dicta domus.
Error si quis inest, exemplar semina seuit.
  Si secus esse putas, nil puto cordis habes.

Ibidem rubra subscriptio extat:

Explicit acronis cōmentum in Oratii quinti

flacci ***carminum libros quatuor carmen seculare. et epodon.*** **Deo: gratias.:·**

Vitae illae III et II aeque ut in plurimis codicibus commentario Acronis praemissae sunt et res metricae, quarum maior pars in tribus paginis extremis locum habet. Liber omnino haut parua diligentia conscriptus et bonae notae est. Nonnullis locis eo usus sum etiam in hac editione. (Sign. l.)

(Cod. z.) 26. Cod. *Florent. Riccard.* 659 chartaceus exhibens Comm. *Acronis in Sermones, Artem poeticam et Carmina*, quippe quorum in fine haecce leguntur: Explicit liber Acronis super odas Oratii scriptus a me Ricardo Lunensi Blixii filio auulensis anno domini MCCCCLVII et die quarto mensis maii et hora prope XXIIIam et die mercurii. s. expletus Florentiae. Alias alia eiusmodi in hoc libro occurrunt. Commentum in epistulas non inest. Hinc inde variae lectiones a prima manu margini adspersae sunt ac secunda aliqua manus scholia aliquoties haut male correxit. Potissimum codex cum edd. Ven. facit. Plura enotaui. (Sign. z).

(Cod. R.) 27. Cod. *Parisiensis* 7988 (Sign. R). Vide descriptionem infra sub n. 43.

(Cod. e.) 28. Cod. *Romanus* Ottobon. 1379 (Sign. 3). Vide descriptionem infra sub n. 44.

(Cod. 3.) 29. Cod. *Romanus* Urbin. 359 (Sign. e). Vide descriptionem infra sub n. 45.

30. Cod. *Bernensis* 516 (Sign. 2). Vide descriptionem infra*).

B.

CODICES MSS. PORPHYRIONIS.

31. Cod. *Monacensis* electoralis 181 membranaceis foliis L formae q. d. in folio constans, *saeculo nono aut ineunte decimo* exaratus eo fere charactere qui in libris Scoticis conspicitur, quippe quos e schola *Alcuini* scriptoria profectos, non uero ab Alcuino ipso propria manu exaratos dixi siue, ut alii dixerunt, confectos, id quod *Kirchnerus* Nou. Quaestt. Horatt. p. 9 Bernensem eiusdem generis librum Horatii antiquissimum describens praue intellexit. Ex eadem schola prodiisse Biblia scimus in monasterio quodam prope Romam a me detecta, quorum descriptionem in *Fleckii*, amici pie defuncti, opere ‚Wissenschaftliche Reise durch Italien' etc. deposui. Dicendum autem est in hoc Monacensi codice literas plures initiales Germanicum potius lineamentum siue ductum quam Scoticum ostendere. Hinc omnino quaestio oritur, utrumne hoc exemplare, cuius historiam ignoramus, idem ducendum sit cum eo quod primus ENOCHUS ASCULANUS ille in maris Germanici insula versus septentrionem sub regno papae Nicolai V deprendisse atque in Italiam transtulisse dicitur. Etenim *Girolamo Tiraboschi* in libri ‚Storia della letteratura italiana' (Flor., 1779, 8) Volumine XIV p. 215. 216 refert: ‚Ei dice che fragli eruditi, che da Nicolo furono inuiati a talfine in lontani paesi, uno fu *Enoc da Ascoli*, il quale inoltrato erasi fin nella Dacia, anzi secondo alcuni, fin nella *Candauia* (!), la più lontana isola del mar di Germania verso Settentrione, co' quali nomi però non saprei accertare, quai prouincie intenda d'indicarci il *Filelfo* (Franciscus Philelphus in epistt. III, 1; conferas *Muratori* Script. rerum ital. T. III P. II p. 926 et T. XXV p. 282 de Nic. V. Vide quae de hac re scripsi iam a. 1830 in *Jahnii* Annall. p. 460—462). Il *Platina* („Delle uite e fatti di tutti i sommi pontifici Romani' ed. Ven. 1543. 4. fol. 216, siue ed. lat. Colon. 1600 fol. 314) aggiunge, che a lui deesi la scoperta de' libri attribuiti ad *Apicio*, e del *Comento di Porfirione sopra Orazio*.' (Cod M.)

Haec italica nostrae aetatis scriptura *Porfirion* etiam romana erat, id quod noster reverendae vetustatis codex et hoc nomine et pluribus aliis verbis graecis probat, qualia — ut *then*saurus hic transmittam atque innuens solum significem permulta latina u. g. form*on*sus et formosissimus, sat*uricae* et

satyrice, glaeua, fleuilibus, ciuos, sauinum, aluanorum, uelle pro belle, uocauatur, uiuendi pro bib. libius, ribus, querellis et querella, cottidie, deciens in lemmate, quotiens in lemmate, quoties in scholio, hau pro haut in lemmate scholii serm. II, 1, 17, quur, inquid, scribtor, scribtus, paenuria, paenitet, aepulis, braeui, equaes, quemcumq*uae*, plerumquae, laboraent, hodiae, uarronae, spetiae, hibridaem etc. —, qualia ergo sunt *filippum* III, 16, 15 ut vet. cod. Acronis A ibidem et epist. II, 7, 9 et cod. Porph. R ad epist. II, 2, 49. Vide Ang. Mai. ad Cic. or. in P. Clodium et Curionem ed. Mediol. MDCCCXIV d. XI not. 2 et ed. MDCCCXVII p. 65, qui hanc formam retinuit laudans Laud. I in Valentin. Sen. c. IX, Laud. II c. XXV et Laud. in Gratian. c. VII. Contra omisit RITSCHL audacior in his rebus professor in prolegg. Plautt. Trin. p. LXXXIX et CXXIII, ubi scriptum est Philippi et Philippei; *frygiae* III, 1, 41 ut Bernn. AC, Par. γ, Franeq. al., et *fhrygiae* urbs, *fhrygias* tybias, inconst. tamen, ut ex carmm. II, 12 v. 22 et 23 patet. ,*Fru*ges, non Phryges, tamen et Phryges et Pyrrhum aurium causa dicimus‘, declarat idem A. *Mai* eodem loco; pro Pyrrhi *purri* in lemmate epist. I, 13, 14, quippe quae Ennii est scriptura. Vide Cic. orator. XLVIII et A. *Mai.* l. l. p. 11. Sic vet. Bern. K (B. Or.) *puga* pro *pyga* Sermm. I. 2, 133. Ex nostro codice breuius adfero *foebi* et *foloe* in lemmatibus et scholiis, bosforus, foceu, bellerofon, aristofanes, fysicam, nifaten, alufanis, telefum, amfion, anforae, a*m*fibolum, fantasia, delfi, saffo, fimωn pro *φιμὸν*, quorum numerus adaugeri posset.

Atque etiam post uitam IV incipientem ,Horatius Flaccus, poeta lyricus, libertino patre natus‘ rel., quae ipsi adiudicanda est Porphyrioni, idem scriptus est principio libri carminum primi:

POMPONI PORIURIONIS (sic) COMMENTUM
IN HORATIUM FLACCUM. IN MAECENATEM.

Habuit ergo codex Por*fu*rionis, utpote quae scriptura dici omnino principalis potest. Differunt autem ab hac plures quae deinceps sequuntur subscriptiones, ac prima quidem fine libri III posita haecce:

POMPONI (sic constanter) PORFYRIONIS COωENTARIORUω (sic h. l.)
LIB. III EXPLICIT. INCIPIT LIBER IIII, eiusque fine illi similis haec: PORFYRIONIS (absque praenomine) COωω. IN HORATI FLACCI LIB. IIII. EXPLICIT.
INCIPIT EIUSDEM CARMEN. DE ARTE. POETICA.

Contra carminis saec. inscriptioni praecedunt mutatis Commen*tariis* in Commen*tum* haecce: POMPONI PORFYRIONIS COωωENTUM IN HORATIUM DE ARTE POETICA EXPLICIT. INCIPIT CARMEN SAECULARE FELICITER.

Haec scriptura Porfyri*on*, una cum syllaba finali graeca, etiam in scholiis, ut ad III, 4, occurrit. Notandum autem est, neque sermonibus qui carm. saec. excipiunt, neque EPISTULARUM LIB. I et II interpretis vetusti nostri nomen esse datum.

Atqui in calce libri item a prima manu repetita nomina sunt set differente scriptura, ita:

POᗰPONI POR
PᕼYRIONIS ᑕOᗰ
MENTARIUS IN HORATIO̅ (1. m.)
EXPLICIT FELICITER UTERE
FELIX.

Manus multo recentior addidit: OMNIA PROBATE. qđ (quod) bonum ē (est) tenete.

HALMIUS, V. CL., totum hunc codicem aliquando qui exscripsit in usum *Gasp. Orellii* qui mihi copiam eius fecit pro variis officiis in itinere ipsi praestitis et paruam hanc atque exiguissumam rem notare noluit et HORATIUM correctiorem casum posuit, qui iterum obuiam se fert nobis infra sub n. 36 (7). Dico tamen in scholiorum codicibus et accusatiuum et ablatiuum frequentius occurrere vel in epigraphis et subscriptionibus. Idem V. D. saepe aliter legit uerba atque ego, ut unum pro multis ex contextu locum adferam epist. I. 17, 8, ubi ille literas s et r. sibi simillumas confundens exscripsit: aliqu*orum* ami*corum* et per ami*corum* pro: ami*cos*. In ipsis inscriptionibus discrepantia lectionum est, ut ad artis poeticae finem, ubi Halmius dedit: Pompon*ii* Porfyrionis commenta*rius* in Hor. etc., equidem constantem scripturam POMPONI seruaui, uide pag. 14. HOCHEDERUS autem, rector aliquando gymnasii Monacensis, in editione Artis poeticae, Passau. 1824, 8, plus centum locis perperam lectiones nostri codicis rettulit atque homoeoteleutis deceptus, plura omisit, ut p. 180:

(Nam poeta scri*b*turus aut secundum consensum *debet* || — aliquid describere aut si historiam tamquam tritam non uult non attingere *debet* || — conuenienter notam inducere).

Codex praebet *integrum Porphyrionem* ad Horatium, et quidem hoc ordine: ad *Carmina*, *Artem poeticam*, *Carmen saeculare*, *Epodon librum*, ad *Sermones* atque *Epistulas*. Satirae singulae tamquam ECLOGAE sunt numeratae.

At enim verum est a scriba ignarissumo librum exaratum esse: plurimis quidem mendis scatet atque erroribus; maximi tamen aestumandus est tam ob conspicuam vetustatem quam ob eius auctoritatem. Possumus utique nobis gratulari non minus de uecordia scribae, qui quae scripsit omnino non intellexit, id quod sexcentis efficitur exemplis, (verba tamen graecis literis uulgo reddidit, si exceperis ad carm. II, 6, 3, ubi afelos pro ἀπλῶς posuit) ac de religione manifestaque fide, qua noua nusquam inferre conatus est, id quod maioris est momenti in scholiastis quam in aliis scriptoribus emendandis atque inprimis in antiquissumo Porphyrionis exemplo, ex quo spe-

ramus fore ut promanet aliqua salus, ne dicam certa medela tot tantisque locis mirum in modum vexatis. (Sign. M — ad Porph.).

Codices qui deinceps descripti sequuntur omnes ad saec. XV spectant.

(Cod. A.) 32. PETRI DANIELIS apparatus qui codicibus mss. compositus est, quorum lectiones exemplari ed. Basil. a. 1555 in bibliotheca ciuium *Bernensium* quod asseruatur, adscriptae leguntur. Quae lectiones duorum sunt codicum, quorum alter p. 203 et p. 285, Vet. cod. *P. Marsi* nuncupatur. Hunc ipsum esse eundem cum cod. ms. Bernensi N. 516, (uide inferius sub *) ex eo concludo, quod in calce legitur: ‚*Petrus Marsus Viterbii* scripsit b. a. X. p. i. anno sal. 1472', deinde quod utrique libro, editionem dico a. 1555, et codici 516, *Bongarsius* ille, uir in literis praeclarus, a quo plurimi iique optimi codices Bernam traditi sunt, nomen suum anteposuit. Eadem (Petri Danielis est) manus, quae collationem in ed. a. 1555 exhibuit, in illo codice passim correxisse uidetur atque in codice Acronis 223 (cod. 1 superius n. 11) titulos epodis dedit. Insignitae sunt ab ipso P. Daniele litera A lectiones hae uberrumae eaeque optimae quae per totum Horatium ad finem epistularum usque patent. (Sign. A — ad Porph. —)

Atque hic locus est quo adiungendus uidetur modo dictus P. Marsi codex ad apparatum P. Danielis pertinens ac primus eorum qui inferius tertium locum sub lit. C occupant, quippe Porphyrionem simulque Acronem continentes. Est autem

(Cod. 2.) 33. Cod. *Bernensis* 516, chartaceis CLX foliis quaternis Commentarium integrum fere in *Carmina*, *Epodos*, *Carm. saec.*, *Sermones atque Epistulas* praebens. Vide descriptionem infra sub *. (Sign. 2).

(Cod. 4.) 34. Cod. *Romanus* Vat. 1518, liber elegans foliorum membran. LVIII in fol. q. d., cuius prima pagina secundum illius aetatis morem ornata est, integros suppeditans *Porphyrionis* Commentarios in Hor. Carmina, *Poetriam*, *Carmen saec.*, *Epodon*, *Sermones atque Epistulas*. Incipiunt autem post uitam IV Porphyrionis cum hac rubra inscriptione:

> ‚Porphyrionis uiri doctissimi in *Lyrica* Horatii *Commentum* incipit foeliciter.'

Contra liber III hanc breuiorem fert epigraphen quae interpretis nomine caret:

‚HORATII CARMINUM LIBER. III. INCIPIT.'

In Artis poeticae inscriptionem iam u. Poe*tria* inrepsit:

‚PORPHYRIONIS IN POETRIAM HORATII COMMENTUM INCIPIT FELICITER.'

Inscriptiones in media libri parte pauciores sunt, in postrema omnino desiderantur: aeque enim sermones atque epistulae iis carent. Manus cor-

rectrix hinc inde cernitur, quantum uideo, prima; inde a folio XXXVIII manus secunda scribere perrexit. Haut parua diligentia totus liber est conscriptus qui in Porphyrione persaepe cum editionibus Ven. facit. Contuli plures partes. (Sign. 4.)

Inde a folio CX usque ad CIIC Commentarius *Cornuti* in *Persium* Flaccum positus est eiusdem aetatis, inscriptione qui non gaudet. At enim uero neque de hoc dicendi nunc locus est neque de codice C. *Suetonii Tranquilli* de Grammaticis et Rethoribus (sic), qui a folio CLXI usque ad CLXXIII tendit, unde C. CORNELII TACITI *dialogus de oratoribus* sequitur, qui exit cum verbis: *Quod ego ut incompertum in medium relinquam.* finis. ϑελος (sic).

35. Cod. *Romanus* Vat. 3315 foliis CCII chartaceis constans item in (Cod. 5.) forma q. d. in folio ab una eademque manu exaratus, quo continentur Commentarii *Porphyrionis* in *Carmina*, *Epodon librum*, *Carmen saec.*, *Art. poet.*, *Sermones* atque *Epistulas*, quippe qui ut libri impressi exeunt cum verbis, ‚Qui es maturus senex.' Vox atra FINIS postremo codice locum habet. Singula quaedam scholia erui. (Sign. 5.)

36. Cod. *Romanus* Vallicellan. E. 41 (in bibliotheca eccles. ‚St. Mar. in (Cod. 6.) Vallicella') membranac. foliis LII nitidis et laeuis satis diligenter conscriptus offert Comm. in *Carmina cum epodis et carm. saec.* Descriptio in catalogo ita se habet: ‚Horatii Flacci duplex uita: Item Pomponii Porphyrionis Commentaria in eius opera.' Praemissae sunt scilicet duae uitae illae IIII et II quae in codd. Acronis inueniri solent. Atqui omnino scholia potius ad Acronem quam ad Porphyrionem pertinent. Codex cuius primum folium in margine literaque initiali gaudet versicolore illius aetatis ornamento, mutilus est; exit cum scholio Acronis ad Carm. saec. v. 49: *Bubus ueneratur albis*] ut: hinc *albi clytumne greges: et maxima taurus: uictima.* per quam deuotionem. romam uult intelligi religiosam.' Nonnulla inde deprompsi. (Sign. 6.)

37. Cod. *Romanus* Chis. H. VII. 229 (in bibliotheca princip. *Chigi*), (Cod. 7.) liber Porphyrionis summa cum cura atque elegantia exaratus in membranis nitidis. Non solum prima eius pagina est omnibus modis ornata, set etiam literae initiales singulorum carminum siue poematum, inprimis principio libri cuiusque noui pictae conspiciuntur. Insignia familiae nobilis praefixae sunt, sub quibus scriptum legitur:

‚Ia. Pic. de Castella. Aragoniaque ex beneficentia posuit.'

Praeterquam princeps pagina inter alia ostendit et ipsa papalia insignia, atque in pictura extat inscriptio: ENEAS PIUS. PAPA. SECŪDUS.

In hoc pulcro libro recognouimus integrum illum uetustissumum Prophyrionem Monacensem diligentissume repetitum, ita tamen ut in epigraphis suis et subscriptionibus quae omnia plena sunt, nomen interpretis una cum prae-

nomine constanter scriptum sit hoc modo: POMPONII PORPHIRIONIS, non Pompon*i* neque Porf*u*rionis siue Por*fy*rionis uel Porp*hy*rionis. Deinde a Monacensi differt in hoc ut eadem fere cum constantia nouiens in titulis scriba utatur uerbo pleno COMMENTARIORUM, ubi illum habemus alternantem, et quidem bis cum u. COMMENTUM, quippe non solum in titulo libri I Carminum set etiam ad Carm. saeculare, totiens tantum, ad libros II et III, tuetur plenam formam COMMENTARIORUM; semel fine libri IV, ostendit breuiorem PORFYRIONIS COMM., quod compendium sic quoque accipiendum uidetur, dum in epodorum, quos secundo loco carminum librum quintum nuncupat, capite ac fine breuiora posuit haecce, et primum quidem:

EXPLICIT LIBER. CARMINIS SECULARIS. INCIPIT EPODON.

deinde: HORATI FLACCI CARMINUM LIBER. V. EXPLICIT ⁝ INCIPIT SERMONUM LIB̅. I.

At uero tam in fronte libri, nominibus exceptis et duobus uerbis extremis, omnino facit noster cum Monacensi, ubi seruauit u. Commen*tum* in libri primi Carminum inscriptione: POMPONII PORPHIRIONIS COMMENTUM IN HORATIUM FLACCUM AD MAECENATEM. INCIPIT FELICITER; quam in calce, ubi, abiectis Pauli apostoli uerbis iis quae a seriori manu addita sunt, u. commentar*ius* retinuit purumque accusatiuum Horat*ium* posuit, et quidem sic:

POMPONII PORPHIRIONIS COMMENTARIUS IN HORATIUM FLACCUM EXPLICIT FELICITER. UTERE. FELIX:·~

:·~ Deo gratias. Amen:·~

Hunc bonum librum qui ex usu mihi erat, signaui 7.

(Com. 8.) 38. Cod. *Florentinus* Laurent. pl. LII, 28, quem aeque ut permultos alios in elencho MITSCHERLICHII, V. D., desiderabis. In hoc codice magnis CLXIV foliis pergamenis in Italia diligentius exarato pariter atque in praecedenti *integer Porphyrionis commentarius in Horatium* continetus. In fine epistularum ut in aliis uox τελως posita est, non τέλος. Hunc librum melioris notae tam ad uitas quam ad ipsa scholia plurima contuli. (Sign. 8).

(Cod. 9.) 39. Cod. *Florentinus* Riccard. 628, chartac. CCI foliis constans, complectens ‚Porphyrionis Grammatici expositionem in libros *Carminum, Artem poeticam, Carmen saeculare, Epodos atque Sermones*, ita ergo ut ea in epistulas absit. *Fontii* quem haut indoctum Persii interpretem nouimus, liber hic olim erat, ut inuolucri pagina testatur, cui notitia data est haecce: ‚Bartholomaei Fontii et amicorum N. 55·' Plura eius adhibui. (Sign. g).

(Cod. x.) 40. Cod. *Florentinus* Riccard. 654, chartac. CLXXVII foliorum in 4., dilucide ab una manu ac diligenter quamquam celerius conscriptus. *Integer inest Porphyrion*, quamuis dicendum sit scribam fugitiua manu exarantem aliquotiens lapsum esse omittendo et tota scholia et singula uerba. In calce

scriptum est: ‚FINIS. Laus Deo.' Est omnino inter bonos libros. Et uitas et plura quae grauiora uidebantur scholia contuli. (Sign. x).

41. Cod. *Florentinus* Riccard. 893, chartac. in 4., praeter Priscianum de ponderibus, Petronii, Fulgentii aliorumque scripta inde a folio CXII habet Comm. Porph. in art. po. sex folia complectentem. Rubro colore inscriptus est: ‚Explanatio por*f*rionis super Horatii Flacci *poetria.*' Incipit eodem modo et exit quo edd. Venetae. Est autem in Italia exaratus ab exercitata manu atque haut indocta, quae plura collegit ut *Petrarchae* testamentum, *Homeri* uitam, Nic *Perotti* orationem de abdicando auro et purpura mulieribus, *Poggii* adnott., *Leon. Aretini* Comm. rerum graecarum, *Guarinum* de diphthongis etc. Rubra et atra registri uerba in morem Italorum illius aetatis ad marginem conspiciuntur. In fine scriptum est: ‚*Finis*'. Pauca notaui (Sign. ϱ). (Cod. ϱ.)

42. Cod. *Parisiensis* 7987, membranac. CXXVI foliis laeuis, candidis formaeque oblongae, in quo uitam IV, inscriptio cui praeposita est haec: ‚Vita Oracii per Porph*i*rionem', sequitur *Commentarius Porph. ad Carmina, Artem poeticam, Carmen saeculare, Epodos, Sermones atque Epistulas* integer fere, si sermonum partem duosque uersus exceperis extremos. Exit enim cum uerbis ad epistt. II, 2 versum antepenultimum pertinentibus: ‚*a iuuene ludificetur.*' Hic codex licet cuiuscumque modi scateat mendis, quae partim ex negligentia scribae profecta sunt qui latina quae scribebat uerba minime sapiebat, ex bono tamen libro ortus uidetur et optimas multas lectiones confirmat. Praeter Comm. artis poeticae totum plura alia contuli. (Sign. g). (Cod. g.)

C.

CODICES QVI ACRONIS COMMENTARIOS ET PORPHYRIONIS EODEM VOLUMINE CONTINENT.

(Cod. R.) 43. Cod. *Parisiensis* 7988 foliis CCIIL membranaceis constans, liber splendidissumus, pictus ac multa arte ornatus. Prima lit. initialis uirginis ostendit imaginem diligenter adumbratam. Continet autem a) foliis CXLV *Porphyrionem,* excepto libri primi epistularum fine, *integrum* in Horatii opera omnia. Distinctus quidem est liber carminum secundus, tertius, singulae autem odae continuis numeris significantur, ita quidem ut e. gr. libri II oda secunda numeretur ,XLI ode.' Inscriptiones modo adsunt, modo numeri tantum, modo neutrum. Odae usque ad finem libri IV tendunt continuo numerorum ordine, ita ut sint CIII; epodis nulli dati sunt numeri, inscriptiones tamen conspiciuntur. Voces graecae, quibus potissimum scriba lacunas reliquit, literis latinis scriptae sunt, perperam saepissime, nonnumquam rectius ut: ,a potis aphroditis (*ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης*). Utcumque uitiis abundat atque ineptiis, praestans tamen habendus liber est, scholia plurimis locis manifeste emendans. At uero mirum utique istut est quod epistulis a prima manu rubro colore subscriptum legitur: ,Finis commenti super epistulis *satis mendosi.*' Scriba honesta religione exarauit sane adtentius, id quod frequentia docent exempla quibus ipse se correxit, ubicumque lapsum se deprehenderit. Haec una res tamen hic notatu digna videtur, quippe post primi libri satiram primam usque ad sextam mutatum esse ordinem ita ut secundam quarta excipiat atque hanc quinta, tertia, sexta sequantur, id quod etiam in vet. cod. Monacensi atque in aliis codicibus Porphyrionis animadvertimus. Post epistulam libri I decimam nonam excidisse pauca supplementi loco monendum est, at secundus liber integer legitur.

b) Cum folio CXLV adiunctus atque ab eadem manu exaratus sequitur ,*Acronis Grammatici Commentarius in libros Carminum Oratii*', quibus epodi et carmen saeculare adnumerantur. Vitae III et II item in hoc libro atque in aliis plurimis praecedit ipsi Acronis expositioni, ut quarta Porphyrionis commentario. Epodi insunt omnes praeter ultimum, cuius non nisi initium extat; set enim scriba simpliciter confitens: ,deficit expositio huius odes', totam illi paginam reliquit atque ad carmen saeculare transiit. Odae etiam

in hac codicis parte continuo numerantur ordine, ita ut inde summa odarum CXXI euadat. Dissensio numerorum apud Porphyrionem eo explicatur quod in Acrone duae odae in unam contractae inueniuntur. Itaque enim haec de duplice hoc codice hic sufficiant. Totum contuli atque accuratius examinaui. (Sign. R.)

44. Cod. *Romanus* Ottobon. 1379 chartac. foliis CLXX quaternis continens utrumque ueterem interpretem. Ac primum quidem *Acronem* C folia priora complectuntur, quae in odas, epodos et carm. saec. continent commentarium a variis manibus conscriptum. Tribus singulis partibus subscriptio data est: ,FINIS'. (Cod. 3.)

Cum folio C incipiunt commentarii *Porphyrionis in sermones et epistulas* a manu secunda exarati. Sermonibus ab initio parua haecce atramento adscripta est epigraphe: ,*Super sermonibus Horatii.*' Integer in sermonibus liber est; exit enim commentum sat. II, 8 non solum cum uerbo *exciperetur*, set addit etiam plura quae claudunt cum glossa illa ad v. 86 *mazonomo*] genus lancis (RBφ2) nunc est (= A4 alii). Et hoc loco subscripsit: ,Finis'. Epistulae singulae neque literis initialibus neque inscriptionibus gaudent, quippe quae serius addendae erant. Item uero integrae sunt; exeunt enim ut edd. impr. cum uerbis: *maturus senex.* In calce leguntur haecce:

,Laus deo patri.
Ponponii Porphyrionis finis.'

Multa excussi. (Sign. 3.)

45. Cod. *Romanus* Urb. 359 membranac. CCXVIII foliis nitidioribus praebens *Comm. Porphyrionis in omnia Horatii opera integrum* atque inde a folio CXXVIII *Acronis in Carmina cum Epodis et Carmine saeculari.* Atat hic uetustorum interpretum liber est omnium quos equidem inspexi longe splendidissumus, exaratus quidem in Italia omnibus ornamenti generibus adhibitis. Ecce autem, folio expositionibus praemisso, rosae instar, quippe huius floris forma adumbrata, obuiam tibi missam hancce pulcherrumam totius codicis inscriptionem: (Cod. h.)

IN HOC
CODICE. CONTIN
ENTUR. PORPHIRIO
NIS. ET. ACRONIS GRA
MMATICORUM. COMME
NTA IN. QUINTUM. H.
ORATIU M. FLACC
UM. VEN SIN (sic)
U M. POET
A M.

Quam generalem inscriptionem excipiunt singulis quibusque poematum generibus datae speciales, in quibus expositio Acronis uel commen*tum*, ut principio carminum, ad epistularum tam initium quam finem, atque in calce totius libri dicitur, uel commentar*ius*, ut in fine lib. III et IV, dum u. *explanatio* (‚PORPHIRIONIS GRAMMATICI EXPLANATIO IN ARTEM POETICAM. FINIT. EIUSDEM IN LIBROS SERMONUM INCIPIT') post artem poeticam adhibetur, cuius a capite breuior existit epigraphe: ‚INCIPIT CARMEN SECULARE.' Non possumus quin huc adponamus et principem libri inscriptionem: ‚PORPHIRIONIS. GRAMMATICI. COMMENTUM. IN. QUINTUM. HORATIUM. FLACCUM POETAM INCIPIT', et extremam: ‚FINIS COMMENTI PORPHIRIONIS GRAMMATICI super eplis ualde mendosi', utpote quam similem ac fere eandem iam ex cod. R cognouimus. Duos hos codices quibus alii eiusdem stirpis ut Rom. Urbin. 398 (u) accedunt, ex eodem fonte fluxisse patet quoque ex continuo odarum ordine quae distinctionis nulla per libros singulos ratione habita numerantur ita ut e. c. prima libri III sit ‚ode LX.' Idem factum est in Acrone quem cum folio CVIII aperit inscriptio: ACRONIS GRAMMATICI COMMENTARIUS IN LIBROS CARMINUM ORATII INCIPIT, quam uitae illae III et II consueto ordine sequuntur, intermissis et postpositis illis quae nota sunt parergis de metris et characteribus. Notandum est et ipsos epodos communem illum ordinem accepisse, quo e. c. epodus secundus inter odas tamquam CV refertur. Ut in plurimis sic etiam in hoc nostro pars epod. XVII posterior (Quod obseratis etc.) mutilus est, manus autem prima margini adposuit haecce: ‚*deficit expositio huius odae.*' In calce literis rubris maioribus scripta a. 1. m. haec leguntur:

FINIT ACRONIS COMMENTUM IN ORATII CARMINUM LIBROS IIII. EPODONQUE ET CARMEN SECULARE.

Duplicem hunc codicem multis locis adhibui. (Sign. h.)

(Cod. 2.) *) Cod. *Bernensis* 516 chartac. foliorum CCLII. Ad calcem haec subscriptio apparet: ‚τελως. *Petrus Marsus Viterbii scripsit bonis auibus Xysto pontifice imperante anno salutis* 1472.' Exhibet autem foliis CLX *Porphyrionis* commentarium fere integrum, et quidem hoc ordine: in *carmina*, *epodos* et *carmen saeculare*, *artem poeticam*, *sermones* atque *epistulas*, in quarum ultima exit cum scholio ad v. 155: *at si diuitiae,* utpote quod non plane absolutum uerbis *et minus* reliquit. Quamuis hic Porphyrionis liber non meliori gaudeat habitu externo, quippe cum, priusquam Bernam translatus fuerit, humido quo olim asseruabatur, loco ad dimidiam usque partem singulis foliis pollutus atque tam miserabiliter laesus et laceratus sit, ut magna ipsius ligaturae pars humore consumpta ac putredine aboleuerit, tamen in optimae notae libris habendus atque omnibus partibus commendandus uidetur. At enim cum longius foret hic de Petri Danielis codicibus disserere, non dubito

quin ille liber quem notat *,alter vet. cod.'*, nullus alius sit nisi hic de quo sermo est. Non sine magna eruditione, diligentia ac religione Marsus librum vetustum quo utebatur exscripsit, hinc inde quae alioquin recte beneque ab ipso dicta et scripta fuissent, uitio cognito, sua minime sectans deleuit ueramque libri sui lectionem restituit. Praeter hanc laudem codex sine ullo ornamento est; sic etiam inscriptionibus singula poematum genera carent. Una tantum eaque peculiaris occurrit ad Sermones epigraphe: ,Interpretatio Porphy*rii* in Sermones Horatii.' Non loquor de mutatione ipsius nominis, quae in aliis quoque codicibus Horatii obuia est, ut cod. Mediol. Ambros. R. 32. Sup. saec. XV, qui in quinque foliis extremo libro positis hanc habet inscriptionem: ,INCIPIT. PORPHIRIUS. DE. UARIIS. GENERIBUS. METRORUM. HORATII' atque iterum in fine metricorum: ,HAEC PORPHIRIUS'; verbum *interpretatio* dico, quod vetustis interpretum Horatii epigraphis non propria est in codicibus saeculo XV prioribus.

Tribus foliis scholiorum uacuis interpositis, ut quae in ultima epistula omiserat scriba aut imperfecta reliquerat, alio opportuniore tempore exararet, inde a folio CLXIII ad

b) *Acronem* transit, cuius *commentum in Carmina* inest. Post epodos, quorum quintus decimus desideratur, Carmen saeculare positum est, cuius expositio tendit ad v. 49: *bubus albis* et exit cum uerbis: *,uult intelligi religiosam.'* In quo interprete dolendum est scribam, tanta quem diligentia et cura in Porphyrione insignem praedicauimus, festinantius perinde ac leuius rem suam egisse. Aut peiori et manco usus libro est, aut etiam in suum usum quae ipsi placuerint aliunde collegit. In prima enim Acronis parte scholia uel abiecit multa uel in breuius coacta dedit. Hinc ad textum q. u. Acronis constituendum cum de scholiorum ordine eorumque integritate parum facere eum intellegerem, post libri primi odam XIII labore supersedere diuturno me posse putabam, quo singula quaeque uel omissa uel transposita religiosius enotarem. Neque tamen me taeduit totum praeterquam bonum librum perlegere atque accuratius pertractare propterea quod plura mutauit, in ordinem redegit et correxit ac scholia passim ab editionibus impressis aliena intulit. Graeca uerba nunc literis graecis plus minusque perperam expressit, nunc lacunas iis reliquit, quae recentior manus romanis, scilicet ad ithacismum q. u. expleuit. *Ibis Ouidii* a. 1. m. exaratus praeter interpretes nostros inest. (Sign. 2.)

II. CODICES ACRONIS ET PORPHYRIONIS TYPIS EXCUSI AUT LIBRI EX CODD. MSS. PROFECTI.

Tres autem imprimis sunt huius generis codices, de quibus deinceps iam sermo erit. Digni iidem omnino sunt qui eodem iure editiones principes (non editio princeps, ed. secunda, ed. tertia) a uiris doctis uocentur, propterea quod sensim sensimque in illis partes commentariorum uetustorum prelo subiectae atque ex ordine in publicum emissae sunt.

(r.) 46. *Editio princeps* sine loco et anno set *Romana,* ante annum MCCCCLXXIV a *Bartholomaeo Guldinbeck* typis exscripta Romae. Vide *Audiffr.* p. 413. 414; *Maittaire* I. p. 752 et 766; *Fossi.* I, 802. *Dibdin* in descr. Biblioth. *Spencer.* p. 69—71 dicit: ,*De Bure* was ignorant of its existence. Idem tamen Burius (Bibl. *La Vall.* II, 91. ed. Par. 1783) et falso quidem statuit, *omnia Horatii opera* hac editione contineri, cuius typos Georgio Lauero (Laur) assignat in hoc titulo: Q. H. Flacci *opera* cum Comm. Acronis et Porphyrionis. Idem error repetitur a Ferd. Fossio l. l. conf. *Mitscherlich.* p. LVIII. Neque *Ebert.**)

*) De editione, quam *Panzer.* IX, 326 ex *Denisii* libro Lesefrüchte II, 18 commemorat, idem *Ebertus* ad n. 10121 non magis accurate iudicauit. Etenim extant quidem exemplaria, in quibus folia nonnulla desunt, et quidem aut tria illa quae literas praebent scriptas a ,Joanne Aloisio Tuscano aduocato consistoriali ad Franciscum Helium Partheuopeium' idemque ,Franciscus *Marchisius Ae*lius Perthenopeius' quod respondit illi ,amico lepidissimo, poetae dulcissimo oratorique pariter et iuris consulto clarissimo', aut quattuor, quorum in primo uitae tres illae, quippe tertia Acroni adscripta, cui adiuncta altera est, atque quarta Porphyrioni assignata leguntur. In exemplo Taurinensi VI folia praecedunt, quorum IV literas praebent atque, uno albo interposito, sextum uitas. At libri plures et lectionibus inter se ac uariis scribendi rationibus hinc inde differunt. Conferenti tibi librum bibliothecae Stae. Genouefae Paris. cum exemplari bibl. Imperialis ibidem haecce e. c. discrimina offendes.

INCIPIT. LIBER. EPODORUM.

Sic exemp. bibl. S. Genou. fol. CLVII; puncta absunt ab Imp. et meo.

Ibidem illut: Ad Maecenatem, hoc: Ad Mecenatem. Sic illut (et meum): Carmen Finit Seculare, Imp.: Carmen finit Sęculare (cum cauda). Quam diversitatem si typis mobilibus explicari posse dubitas, nihil tibi restat nisi duas eiusdem libri editiones deinceps uulgatas accipere, quarum altera foliis illis careret, ut ea quam Panzer. inspexit. Meum exemplar unum folium cum uitis antepositum commentario tenet, extremo autem libro item unum folium, illarum lite-

p. 821 n. 10120 satis accurate refert: „*odae et ars poet. c. commentt. Acr. et Porph.*'

Insunt autem, secundum exemplar quod penes me est ex dono BABINGTONIS, uiri docti et liberalissumi Anglici, ut in codd. Mss., post uitam *tertiam* quae hancce fert inscriptionem:

‚*Vita. Horatii. Secundum. Acronem.*'

et *secundam* quae introducta est his uerbis: ‚*Item aliter uita recensetur*' quamque eodem folio principe excipit uita *quarta* cum hac epigraphe:

‚Vita. Horatii. Secundum. *Porphyrionem*' —

Odarum libri quattuor, *liber epodorum*, *carmen seculare* et *poetria* siue *ars poetica* una cum ‚*explanationibus*' quae in libro nostro dicuntur, ‚*Acronis* et *Porphyrionis.*' Nomen posterius usque ad fol. XX, tum fol. CXXIX et CXXX scriptum est PORPHIRIO rariore romana forma, cum i, in reliquis PORPHYRIO cum y, prius ubique ACRO, qui per totum codicem Porphyrionem praecedit. Commentarii post singula poetae carmina continuis uersibus praemissa alternatim positi sunt, ita tamen ut item continui ab initio ad finem usque singulorum siue carminum siue poematum, unum artis poeticae dico, pateant.

Ipse Horatius principio Carminum inscriptus est hocce modo:

QUINTI. *HO*RATII. FLACCI. O
DARUM. AD M*O*ECENATEM.
LIBER PRIMUS.

In scriptura nominis poetae inconstans sibi est editor tam in Horatio, ut:

‚Q. F. *O*ratii *Poetria* Incipit',
et: ‚Incipit Carmen Seculare Oratii.'
et: ‚Explicit Carmen Seculare Oratii.'

quam in commentariis, ut:

‚Explanatio Acronis in Epod*o* Oratii.'
‚Explanatio Porphirionis in Epod*o* Oratii.'
‚Acronis Explanatio in *poetriam* Oratii.'

Eadem inconstantia in hac uoce *poetria* cernitur:

‚Explanatio Porph*i*rionis in *arte poetica* Incipit.'
et: ‚Explanatio Porph*i*rionis In
arte poetica feliciter Explicit.'

Praeterea notandum est codicem nostrum ad epod. XVII. partem posteriorem Canidiae responsum continentem Horatii quidem uerba praebere, Acronis autem tres tantum uersus usque ad uerba: *respondentem. Inultus*

rarum fragmentum, quo finis responsi Heliani continetur, adiectum est. Exemplar bibl. St. Genou. haec folia habet non typis impressa set exarata manu scribae alicuius qui singulari arte typorum formas imitatus est. Neque etiam idem chartarii signum in exemplaribus comparet; nam in his cornu, in aliis libra, in meo forfex, libra et tertium quoddam trifolii fere instar conspiciuntur.

nunquid patiar. Usque ad v. *respondentem* plures quos cognouimus tendunt codices. Porphyrionis integra huius epodi expositio cum u. *flebo* ut edd. impr. exit. Quae de hac editione iudicanda essent, alius dicendi locus fuit. Totus liber ubique ad manus erat. (Sign. r.)

(m.) 47. Editio princeps *Mediolanensis* impressa per Anton. *Zarothum* Parmensem MCCCCLXXIIII, continens ,*commentaria*' Acronis *in Carmina, Epodos, Carm. saec., Art. poet.* ac *Sermones.* Princeps recte eo dicitur, quod *prima est earum, quae Acronis comm. in Sermones obtulerunt,* id quod fieri nequibat nisi ex codice manu scripto. Qui eam adornauit, siue uir doctus quidam siue ipse Zarothus fuerit, constans sibi erat in scribendo poetae nomen cum H uerbumque commentar*ia* neutro genere in epigraphis et subscriptionibus, quales, compendiis scribendi neglectis, hae sunt:

,Acronis Commentaria In Secundum Librum Carminum Quinti Horatii Flacci.'

,Acronis Commentaria In Quinti Horatii Flacci Epodon Librum.'

,Acronis Commentaria In Quinti Horatii Flacci Sermonum Libros Duos.'

,Acronis In Quinti horatii flacci sermonum Secundum Librum Commentaria.'

Haec commentaria in fine libri, quippe folio CXLVI, *diligenter emendata* dicuntur. Ibi enim leguntur haecce:

,Acronis Viri quam doctissimi Commentaria diligenter emendata In Q. Horatii Flacci *Opera* per Antonium Zarothum parmensem Mediolani impressa MCCCCLXXIIII. Idibus sextilibus.'

At uero, ut hoc exemplo doceris, cauendum tibi est, ne uerbum *Opera* quod equidem linea distinxi, perperam accipiens errorem incurras quorundam bibliographorum, qui, non toto libro in examen uocato, hanc unam legentes subscriptionem falsa statuere facile potuerunt, ut in editione praecedenti uidimus. Dicendum etiam postremo est, hanc *Acronis* editionem ex Zarothi prelo profectam anno MCCCCLXXIIII non confundendam esse cum editione Zarothiana ipsius *Horatii* eodem anno impressa, de qua suo loco uberius exposui. (Sign. m.)

(v.) 48. Editio princeps *Veneta* (*Patauii* tantum scribebantur literae ab emendatore Porphyrionis ad patricium uenetum quendam datae Idibus Augusti) a. MCCCCLXXXI, qua ,*Porphyrionis* in Horatii operibus commentum et Horatii *omnia opera* cum Acronis expositione' continentur. *Est ergo prima earum, quae Porphyrionis comm. in Sermones atque Acronis expositiones epistularum praebuerunt.* Inscriptio primo ipsorum commentariorum folio data unoque uersu contenta haecce adest:

PORPHYRIONIS IN Qu. HORATII FLACCI OPERIBUS
COMENTUM (sic) INCIPIT.

Folio XXI, b. haec inscriptio legitur, quae omnino eadem est in editione pr. Romana:

,Explanatio Porphirionis in Epodo Oratii.'

Aliter se habet folio XXVII haecce:

,Porphyrionis explanatio in seculari carmine incipit.'

atque haec: ,Carmen finit seculare.'

,Porphyrionis in artem poeticam commentaria.'

Quibus scilicet nullus editionis Romanae comparet consensus.

Folio XXIX haec adest subscriptio, cui praenomen commentatoris additum est:

,Pomponii Porphyrionis commentariorum in artem poeticam finis.'

Sermones tam ab initio quam in fine carent inscriptionibus. Contra epistulae folio XLI hoc titulo gaudent cum eodem praenomine:

,Pomponii Porphyrionis in epistolas Horatii commentaria.'

Folio denique XLIX commentariorum extremo haecce generalis adest subscriptio:

,Pomponii Porphyrionis *enarratoris* diligentiss. in Horatium commentariorum.'

Praeter ipsos Porphyrionis commentarios unum extat folium antepositum omnium princeps, quod in pagina altera — prima enim alba est — illas literas *Raphaelis Regii* exhibet ad Aloisium Maurocenum patricium Venetum datas (,Vale *Patauii* Idibus Augusti MCCCCLXXXI.'). Qui licet dies literarum a R. Regio, cui *,Porphyrionis narrationes ut emendaret, delatae erant'*, Patauii esset adscriptus, Venetam tamen nostram dixi editionem. Ex die enim additoque urbis nomine nihil proficiscitur nisi hoc, Regium tum temporis Patauii uitam degisse atque scripsisse, qua in urbe aeque ut Venetiis commentarios in Ouidium, Quinctilianum et Plutarchum in lucem eum edidisse constat. Erant qui aliter iudicarunt, inter quos Iani. p. XXV nominandus est. Quid autem? Cur secus sentiam, dicere pergam: est enim aliqua rei ratio. Ac primum quidem typi sunt plane Veneti. Deinde ubinam statueris alteram libri partem, *Acronis commentarios* dico, — *quibus ipse Horatius, quo Porphyrion praecedens omnino caret, isque integer continuis uersibus additus est,* — typis excusam esse? Hanc partem, quae CXXXIV folia complectitur, aperiunt folio L literae *editoris integrorum Acronis commentariorum* sic inscriptae: Ad Reuerendissimum in chr. patrem et D. Dominum Angelum phascolum. Dei: et Apostolicae saedis (sic) gratia Fpiscopum Feltrensem. *Lodouic. de Strazarolis* Taruisanus.' Ecce duae literae duoque editores eiusdem libri siue potius voluminis, quorum alter Patauii, alter, ut uerisimile est, Venetiae uiuebat. Memorata quidem non est urbs qua hae literae scriberentur atque imprimerentur, set ex eo quod illis Regii literis adscripta talis est, colligi recte non potest, Porphyrionis commenta Patauii neque etiam Acronis ibidem esse

typis excusa. Communis potius impressionis locus censenda videtur urbs Venetia. Impressorem scilicet nomen suum ad calcem non posuisse, eo magis mireris, quod illi primum publicare magnam ueterum commentatorum partem gloriari licebat. Inuidiam omnino magistri illi timebant et maleuolorum obtrectatorum crimina, id quod ex Aloysii, Romani editoris, epistula luculenter patet. Hinc Guldinbeck Romano libro nomen suum adponere abstinuit, quod tamen in aliis ab eodem et tunc temporis et paullo serius impressis libris factum esse scimus, ut in ‚Aeneas Siluius de amoris remedio', in ‚Pamphilus de amore' et in ‚Ciceronis epistt. famill. lib. I' atque in ‚Horatius cum Comm. MCCCCLXXVI', quippe quae editio notata est in Catalogo biblioth. St. Genou. Paris. a *Daunovio* scripto p. CXXX et CCXXXVI.

Notatu digna uidentur, quae Regius de Porphyrione ejusque libris uetustioribus profert. Sunt autem haecce: ‚Is enim in eliciendis enodandisque Venusini poetae sententiis tam solicita utitur diligentia, ut ipsius enaratione (sic) meridiana luce uideantur clariores. Siquidem historias fabulasque ac alia ad poetarum declarationem necessaria ita breuiter facundeque attingit, ut nihil neque deesse neque superesse existimari possit. Verum quae est natura inuidiae fortunae (sic) ut semper meliora pereant: huius tam egregii litteratoris, *quem ego uel priscis omnibus grammaticis anteferendum censuerim:* lucubrationes in Horatium siue librariorum negligentia siue temporum iniquitate pene amiseramus. Tot enim in his extabant inuersa, transposita, manca, errata, ut non modo non intelligi, sed ne legi quidem multis in locis possent. Quod scilicet cuiuis facile constabit, quem non pigebit aut *Romae nuper impressa duntaxat dimidiata:* aut manuscripta exemplaria cum hac *emendatione nostra* conferre. Neque tamen inficias eo, non nulla quoque in his non perinde atque in archaetypis emendata reperiri. Diuini enim hoc potius esset quam humani, librum ubique uetustate corrosum *in tanta praesertim exemplarium paucitate* (*unicum enim ex antiquis duntaxat inuenitur*) in pristinam vindicare sinceritatem: cum praesertim ea quoque quae in scholis quotidie leguntur, in pristinum candorem redigi, aut redacta conseruari nequaquam possint.'

Quae ex his ad κρίσιν faciunt, duae imprimis res esse uidentur, quarum altera ad codd. mss., altera ad libros archetypos spectat. Et primum quidem eo efficitur Regium codd. mss. adhibuisse indeque noua Porphyrionis commenta in sermones et epistulas petiisse. Plures autem tum extabant: alioquin ad exemplaria manuscripta delegare lectores nequibat. Hi codd. mss. et serioris et uetustioris erant originis. Seriores ex editione Romana descriptos non putandum est, quia exemplaria Romae impressa manuscriptis opponuntur, unde ea inter se dissentisse elucet. Ex uetustis unicum duntaxat inueniebatur. Quod et quale et ubi hoc fuerit, non esse accuratius

indicatum vehementer dolemus. Vel ipse utrumne eo usus sit, ambiguum reliquit. Nihilo secius ignoramus, antiquumne hoc an idem fuerit cum eo, quod Enoch Asculanus reperisse fertur, de quo superius disputatum est. Hoc tamen extra omnem dubitationem positum iudicabis, R. Regium, virum doctum non minus atque sincerum, ex antiquo fonte Porphyrionis commentarios suos hausisse. Plurimis enim locis omnino consentiunt cum vetustissimo cod. Monac. (M), in quo ad singulos Horatii libros idem initium conspicitur, idem exitus. Neque tamen inde hos codices sibi aequales ducas. Regius enim non solum uitam quartam illam Porphyrionis quae vulgo in codicibus commentario praemittitur abiecit, set etiam epigraphas librorum siue subscriptiones mutauit et vario ordine commentarios in varia poematum genera disposuit. Ita enim hi in nostra editione deinceps se excipiunt: comm. in odas, epodos, carm. saec., art. po., sermones, epistulas, dum in Cod. M. expositio artis poeticae secundum locum tenet et comm. in carmen saeculare antecedit epodorum librum. Uterque liber ad singula carmina siue poemata inscriptionibus, cod. Monac. plurimum, ed. Regii constanter caret.

Deinde quod ‚libros archetypos' attinet, dicendum est, bibliographos adhuc fugisse quod Regius exemplaria dixit ‚*Romae nuper impressa duntaxat dimidiata.*' Hic animaduertendum est, R. Regium Porphyrionis tantum commentarios literis suis praefari, verba ergo ipsius non ad integritatem utriusque commentatoris set ad solum Porphyrionem spectare. Illo autem testimonio eorum collabitur sententia, qui Romanam editionem Neapolitanam esse volebant, quippe excusam typis Arnoldi Bruxellensis. Inter hos primum locum occupat VAN PRAET, doctissimus humanissimusque olim bibliothecae Parisiensis praefectus, qui cum Parisiis uersabar ipsoque duce pulcherruma artis typotheticae quae ibi asseruantur monumenta in meos usus conuertebam, characterem Guldinbecquii in hoc libro agnoscere pertinaci concertatione noluit. Verum quidem est, typos c e h s y huius editionis simillumas esse iis quibus Arnoldus de Bruxella et in editione Horatii a. MCCCCLXXIV usus est et in Macri philosophi de uirtutibus herbarum a. MCCCCLXXVII, cum quo libro conferendus est Iunianus Maius Parthenopeius de priscorum proprietate uerborum MCCCCLXXV. Set nostra ed. Rom. compendiis scribendi uberior punctis caret supra i, in quo Arnoldus sibi inconstans, diphthongum *ae* notat per e cum cauda, ubi idem Arnoldus ut in uerbis *sepe, celum, equore, hesit, lire, hedere* al., literam e pure dedit. Deinde Vir clarissimus eosdem typos in opere suo: Catalogue des livres imprimés sur Velin etc. Tom. IV p. 75 *Vindelino de Spira* assignauerat. Quae cum ita sint, editio Acronis et Porphyrionis omnium princeps cum Audiffredo putanda est Romana atque eadem quam R. Regium adhibuisse ex illo loco collegere merito possumus.

Iam tandem aliquando peruenimus ad alteram ed. Venetae partem, quae

non solum commentarios Acronis integros set etiam ipsius Horatii poemata offert eaque et ad libros et ad carmina eorum singula inscriptionibus e codd. mss. petitis ornata. Lodov. de Strazarolis editor in principio dictae epistulae posuit haecce: „ . . Horatii . . opuscula emendatissima diebus proxime elapsis pro ingenii nostri possibilitate recognoscenda una cum Acronis commentatoris expositione percurrimus. Quorum (*quia plures undecunque collegeramus codices*) cum in nouis tum uel magis in ueteribus et cariosis innumerabiles offendimus mendas. Et hoc me in magnam admirationem detraxit uidelicet poetam in iocis tam lepidum, in repraehensione tam grauem, in quottidiano sermone tam urbanum, in omnibus denique tam universalem ut nulla pars pro Characteris (sic) sui qualitate alteram superare uideatur, tam negligenter amissum. *De Acrone autem cuius tria habebamus uolumina* nullum fere uerbum ne dicam sententiam aderat in uno : quod idem in aliis : aut adesset : aut deprauatum si aderat legeretur : perinde ac si non unum sed diuersos exponerent Horatios.' Quae his subsequuntur, non ad rem faciunt. Ex quibus hoc certe compertum habemus, editorem ad poetam recognoscendum plures undecumque collectos adhibuisse codices, ad Acronis commentarium *tria uolumina*. At uero quinam et quales hi libri fuerint, non minus ambiguum est quam hoc, discrimen utrumne inter codices atque uolumina statuere vir doctus ille uoluerit nec ne. Quod si uoluit, uerisimile arbitror dictas esse tres illas editiones uetustiores, quippe utramque Romanam atque Mediolanensem, de quibus supra diximus. Nullus tamen certi quid profiteri de his ualebit. (Sign. v.)

Libris huius generis omni iure adnumerandus est

(c.) 49. ‚COMMENTATOR' Jacobi Cruquii, de quo tot tamque uaria accepimus iudicia quae in praefatione accuratius perpendere conabimur. Usus sum editione ‚ex officina Plantiniana Raphelengii.' CIↃ. IↃ. CXI. (Sign. C).

III. RECENTIORES EDITIONES SAEC. XVI.

---

1. Editio Basileensis anni MDXXVII, 8, BASILEAE APUD VALENTINUM CURIONEM. ANNO D. XXVII. (Ed. c.)

Titulus hicce est:

,IN Q. HORATII FLACCI VENUSINI POETAE amoenissimi exactissimique atque inter Lyricos Latinos principis opera. commentarii ACRONIS grammatici haud quaquam uulgaris, nuper quam accuratissime castigati aeditique ac amplissimo indice.'

Commentarii Acronis integri in Horatium exeunt cum epistt. II, 2 v. 98: *lento duello*] cum uerbo *diremit*, ita ut pauca illa uerba, *Non solum, inquit; non laudo* . . non legantur, quae in edd. Ascens., G. Fabricii a. MDLV et Nic. Hönigeri a. MDLXXX addita sunt cum uariis subscriptionibus, quales sunt: Acron hic deficit (a), Deest finis (Fabr.) et: Deest finis Commentariorum Acronis (h). Adi libellum meum de Cod. Barcell. p. 40—43. (Sign. c.)

2. Editio *Ascensiana* a. M. D. XXIX, fol., ad cuius calcem, folio CCLXXXVIII numerato adposita leguntur haecce: Annotationum Aldi Manutii et aliorum in Horatium cum ipso Horatio et commentariis in fronte indicatis: Sub prelo Ascensiano ad quintum Calendas Septemb. MDXXIX. (Ed. a.)

De indole atque auctoritate huius editionis nihil amplius hic dicam, cum alias de ea disserendi sit locus. (Sign. a).

3. Editio *Basileensis* anni MDLV, fol., apud *Henricum Petri*, titulo hoc: ,Opera Q. Horatii Flacci Venusini, Grammaticorum antiquiss. HELENII ACRONIS ET PORPHIRIONIS Commentariis illustrata, admixtis interdum C. AEMILII, IVLII MODESTI ET TERENTII SCAURI *Annotatiunculis:* edita auctius et emendatius, quam unquam antea, per *Georgium Fabricium Chemnicensem*. Ex DIOMEDIS etiam Observationibus, indicata in Odis Carminum genera sunt, et menda in iisdem sublata.' In epistula dedicatoria quam ad Patres, Consules et Senatores Annebergenses e ludo Illustri *Misenae* IIII Idibus Martii. Anno M. D. LV beneficii remunerandi causa dedit, de ratione instituti et laboris sui exposuit. Iam quod ad Fabricii subsidia eorumque usum adtinet, ipse refert: ,Cum autem interpretum Horatianorum libri corruptiores fuerint, quam ullius adhuc Latini scriptoris monumenta fuisse compererim, *multis saepe locis, et in Italia et in Germania codices manuscriptos inquisiui. Duo tantum exempla nactus sum*, alterum a Vuolfgango Vuertero Equite Turingo: quod quia *integrum non fuit*, exiguum quidem, sed aliquem usum in emendandis poetae carminibus attulit, et interdum sententiam confirmauit (Ed. f.)

meam. Alterum ad me ante biennium misit D. Georgius, Anhaltinus et Ascanius princeps. Qui liber mihi loco Lydii lapidis aut Carystii fuit. Eius codicis beneficio, ut nihil de sublatis mendis, nihil de restitutis quae transposita aut mutilata erant, commemorem, accesserunt ad Odarum commentationes non pauca, ad Artem poeticam multa, ad Sermones plurima: ita ut si nostram hanc editionem ad alias comparaueris, nouam quodammodo esse experiaris: ueruntamen ita me nemo suspicetur dicere, aut inuenta in hoc libro, quae hactenus defuerint, omnia, aut correcta, quae minus bene habuerint, omnia: sed hoc minime uanum aut superbum est, me huius libri integritatem, copiamque secutum, multo quasi habiliorem et nitidiorem in palaestram literariam producere *Acronem Helenium: in Porphyrione ex paucis membranis antiquis, emendaui tantum aliqua, addidi pauca,* dissipata, ut spero, collegi omnia. *In epistolis nihil e codice antiquo auxilii fuit.*' Minime nostrum hic est ad disciplinae praecepta perpendere Fabricii laborem, at quot et quanta e tam paucis iisque mutilis codicibus ad vetustos commentatores in tanto rerum periculo et discrimine redundare potuerint, luce clarius est. (Sign. f.)

(Ed. h.) 4. Editio *Basileensis* anni MDLXXX (Basileae, per *Sebastianum Henricpetri* anno post nostram salutem instauratam CIϽ. IϽ. XXC mense martio). Falsa omnino vulgaris eorum est opinio, qui hanc editionem praecedenti prorsus deteriorem dicunt. Utraque est innumeris locis incorrecta, utraque utrique par tam uirtutibus quam uitiis. Hanc tamen persaepe illa correctiorem iudicabis, si utramque comparaueris, quamuis constet, nonnullas ibi scholiorum partes Porphyrioni esse datas, quae ex LANDINI enarrationibus a Fabricio partimque ab Hönigero inlatae erant. De hoc errore in disputatione mea de C. *Aemilio* Mus. Rhen. 1846 p. 523 leguntur haecce:

„So sind in die Scholien des Porphyrion zu Carm. I, 16 bei Fabricius und Höniger aus dem Commentare des *Landin* (von Scribit palinodiam bis more suo) 28 Zeilen herübergenommen; und dieses Kabinetstück wurde auch in den doch sonst so oft geänderten, d. h. verfälschten Abdruck *Braunhard's* Vol. II. p. XXVII aufgenommen. Derselbe Scandal hat sich zu Carm. I, 30 (von Dicarat bis amor) bei Fabricius und Braunhard (Vol. II. p. XLV) wiederholt. In der Ausgabe Hönigers von 1580 ist die Wiederholung der Landinschen Worte nur theilweise doppelt, da nur die von Dicarat bis Herodotum dem Porphyrion zugetheilt sind."

Quid autem? Miramur hercle, in eundem errorem incurrisse Pragensem Editorem, qui minori omnino eruditione atque ingenio quam temeritate ac leuitate festinataque industria librum suum ad dimidias confecit, et, quod miserrimum est, ‚*grauissimorum uirorum*' consiliis opibusque adiutus. Vide multiplicatos eius errores Vol. I. p. 74, 75, 76 et p. 131.